

Libera corporeo MENS carcere GAUDET IN ASTRIS.

PURA PROBATORUM SEDEM SORTITA PIORUM.

In altero Epigrammate sub altari more Martyrum illius Corpus recorditum scribit :

*Digna pio domus est Altaria , sub quibus artus
Conditur exanimos . Nam SPIRITUS ÆTHERE GAUDET ,*

Discipulumque pari sociat SUPER ASTRA Magistro .

Sed quænam hæc Sedes Piorum , B. Pauline ? In tertio Epigrammate respondentem audi :

Sed quia tu non hac , qua Corpus , Sede teneris ,

Qui meritis Superis Spiritus involitas ;

Sive Patron Sinibus recubas , Dominive sub Ara

Conderis , aut sacro pasceris in Nemore :

QUALIBET IN REGIONE POLI situs ; AUT PARADISI ,

Clar , SUB ÆTERNA PACE BEATUS agis .

Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum ,

Ut sis Paulini , Therasieque memor .

Paulinum vides incertum , quo nomine Locum & Sedem Piorum appellat : hoc est , decernere non vult , Sanctus-ne Presbyter requiescat in Sinu Abrahæ , an sub Coelesti Ara Domini , an in sacro Nemiore . Attamen firmissime credit , ejus Animam , sortitam Piorum Sedem , versari & gaudere in Astris , ac lætari in Æthere & super Astræ . Certus quoque est , ubicumque Clarus spiritu degat , & in quacumque Regione Cœli sive Paradisi nunc habitet , ipsum sub Æterna Pace Beatum vivere . Ac propterea se , ac Therasiam uxorem antea , tunc vero spiritalem Sororem suam , ejus apud Deum orationibus commendat : ex quo etiam illius apud Deam Sedem & Beatitudinem confirmat . Hæc S. Paulinus ad Sulpicium Severum .

Quid autem Severus ipse de hac re senserit , perquiramus . Est idem ille , quem S. Hieronymus , uti supra cap. v. vidimus , in Chiliascarum album retulit . Attamen is , dum Martini celeberrimi Turonensis Episcopi , & Magistri sui , discessum e Mundo in Epist. II. ad Bassulam narrat , S. Virum vel in postremo anhelitu orantem nobis exhibet , atque oculis σ manib^s in Cœlum semper intentum . Rogatus , ut corpusculum lateris mutatione relevaret , Sinite , inquit , me , fratres , Cœlum potius respicere quam Terram , ut suo jam itinere ITURUS AD DOMINUM SPIRITUS dirigatur . Diabolum deinde prope adstare intuitus : Quid ber , ait , adhuc cruenta bestia ? Nihil in me , funeste , repertis . ABRAHÆ ME SINUS RECIPIT . Ex his intelligis , Sinum ipsum Abrahæ creditum ab antiquis in Cœlo ipso positum ; quanquam , ut supra monui , ejusmodi vocabulo non Locum aliquem sed consortium Abrahami , patris omnium credentium , utique in Cœlo SS. Patres designasse videantur . Et ne quis de mente Sulpicii Severi , sive de Beatitudine Sancti Martini dubitet , en quid ipse Severus in Epist. II. ad Aurelium Diaconum scribat , ubi de S. Episcopo , pallo